DIDASCALIA PRIMA.

Infallibile Myſterium SS. Trinitatis, verùm difficilis cognitionis.

1 PLura de Trinitatis myſterio, vel ab Ethnicis cognita, expoſuimus in Litera. Modò aliquid inſinuandum eſtò obſcurè in laudem tanti myſterij. Verùm quid? Non eſſet magnum, ſi haberet exemplum. Percipitur per fidem, quod fugit naturalem rationis cognitionem: igitur abeſt etiam à ſublimiore facultas, ut poſsit niſi fide cognoſcere, quomodò vera & una Trinitas, una & ſumma Deitas, ſancta & una unitas.

Fides lux tãtùm in Trinitatis myſterium.

Proſp.

Sic de perſonis tribus eſt tibi non dubitandũ,
Unum, ut docta fides, confiteare Deum.

Ita Proſper Aquitan. *Epigramm.* 98. In Thabore quo viſa gloria corporis Salvatoris aſtiterunt perſonæ SS. Trinitatis. Pater loquens, qui genuit dicens: Filius glorioſus, quem Pater dilectum ſignavit Deus: & tertia denique perſona, Spiritus nempè Sanctus in nube lucida. *Hic eſt Filius meus dilectus*, illicò ac locutus eſt Pater;

Matth. 17. 5.

Et vox è medio lucis manifèſta cucurrit,
Talia dum loquitur, cœlo perfulgida nubes
Circumiecta oculis veſtivit lumine montem:
Diſcipuli pavido preſſerunt corpore terram.

Iuvenc.

Ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valdè. Id eſt, mirati ſunt, accepto timore pro re mirabili, uti fusè videbimus *Tautolog.* 8. num. 8. Si mirabilem nunquàm viſam, viderunt lucem, quorsùm ne videant, ceciderunt in faciem? Audire iubet Pater. *Audite*: at non prohibet videre: quo ergo intuitu claudunt oculos, ne videant; dum præcipitur quòd audiant? Per auditum deſignatur cordium fides: per oculos facultas naturalis cognitionis: & dum exponitur eſſentiæ ſimplicis unitas, ac perſonarum divinarum trinitas, pateſcunt ianuæ aurium, & clauduntur oculorum; quippe huiuſmodi myſterium cognoſcendum duntaxàt per cœlitus datam fidem, & nequaquàm per naturalem etiam ſublimem intellectus cognitionem. Si lux oculorum poſſet eſſe teſtis, comprehenderetur arcanum luce rationis: clauditurque in ſpectabili, amœno Theatro videntium oculus; ut illorum cognoſcat intellectus, ſublime obiectum Trinitatis myſterium eſſe ultra & extra rationis humanæ captum. Ergo præcludantur lumina naturalia, præ ſe latà tantà incomprehenſibili gloria, uti cæcutientia vel ipsà luce rationis, in notitiam myſterij Trinitatis: etenim ſi intelligentiam homo ſolicitat in notitiam; eſſe duntaxàt intelligit ſuprà ipſius intelligentiam. Dum auris aperitur, oculus obnubilatur. Deliquium rationis eluxit oculis clauſis. Audierunt, mirati auditum, poſtquàm, ne viderent, ſuper facies ceciderunt: notaturque mentis ſuſpenſio, dum myſterij intimatur auditio; equidem non vocati ut viderent, ſed ut mirarentur per fidem in Trinitate perſonarum differentiam, ac in tribus perſonis unam ſubſtantiam.

Verſ. 6.

Eſt ſupra captum rationis.

Ac humanæ ſublimioris mentis.

2 Innuit Moyſes non credituris perfidis Iſraëlitis. *Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt alius præter eum.* Pater Deus eſt, etiam Filius, & Spiritus Sanctus: verùm Deus non eſt alius, quia non ſunt aliud extra eſſe divinum: equidem dum præter Patrem aliæ duæ ſignantur divinæ perſonæ; ſunt aliæ, verùm ſunt ipſe: igitur in unica eſſentia Deitatis ſunt tres hypoſtaſes. Liceat in magnis, exemplis brevibus uti. Memoria Antiquitati in temploFàmæ collocavit inſignem tabulam ad hominum plauſum, ſtuporem & memoriam. Narrat Eraſmus lib. 6. *Apophthegm.* in Apelle num. 38. *Protogenes Rhodi vivebat. Eò Appelles videndi cauſà profectus eſt, continuòque petit officinam, in qua tabulam magnæ amplitudinis in machina aptatam picturæ anicula quædam cuſtodiebat. Ea Protogenem negavit eſſe domi, rogavitque, à quo quæſitum diceret reverſo. Ab hoc, inquit Apelles; arreptoque penicillo, lineam ex colore duxit ſummæ tenuitatis ſuper tabulam. Lineam Protogenes contemplatus, continuò dixit: Profectò Apelles Rhodum venit: neque enim in alium cadit tam abſolutum opus. Mox induxit alio colore lineam illà ſubtiliorem, & mandavit, ut ſi rediret hoſpes, diceret oſtenſa lineà: Hic eſt, quem quæris. Reverſus Apelles, & vinci erubeſcens, tertio colore lineas ſecuit, nullum relinquens ampliùs ſubtilitati locum.* Nihil mirum ſervari admirationi ſummitatem ſingularis penicilli: equidem maximum ac dignum admirationis in ſubtiliore humana intelligentia; tres lineas videre diverſas in

Deut. 4. 55.

Certamen Apellis & Protogenis.

Eraſm.

Symbolum Trinitatis.

una linea, non ſolùm diſcretas colore, ſed entitate: ita ut ſecunda procederet à prima, à duabus tertia, in rectitudine æquales, in æquitate conformes; verùm diſtinctæ coloribus, ubi nil maius, aut minus: igitur percellit in admirationem hominum ſenſus, conſiderantes ſpecioſam tabulam; obijci ſimul lineam unam ac diverſam, utpotè trinam & unam.

3 Hoccine certamen in arte peregrinum, deſervit aliquomodò in arcanum, quod nullum habet exemplum: ſiquidem non maius eſſet rationis inveſtigatione, ſi exemplis poſſet aliquatenùs comprehendi. Deus ipſe in aliquibus exhibuit ſpecimen, ut noſtram foveret fidem. *In corde S. Claræ de Monte Falco* (ut obſervant Boëtius Eugubinus *lib.* 25. Marlianus in *Theatr. Politic.* cap. 17. & Bagata de *Mirabilib. Orb. Chriſtian.* lib. 5. cap. 1. append. 1. num. 20.) *inventos tres pretioſos lapides eiuſdem magnitudinis, ponderis, atque figuræ, in quibus hoc mirum eſt; quòd eiuſdem ponderis unus eſt, ac tres, & eiuſdem tres ac unus.* Margaritam, in quam converſi tres Soles, videris apud N. La-Zerdam in *Maria Effigie*, Academ. 4. ſect. 2. num. 4. & apud Gregor. Turonenſ. lib. 1. de *Gloria Martyr.* cap. 13. tres guttas è cœlo lapſas, in camera templi à populo viſas, æquales magnitudine, candore, ac claritate; quæ defluentes in patenam, à Petro presbytero præparatam, ſtatim in ſe coniunctæ coägularunt, & quaſi unam gemmam pulcherrimam effecerunt. Sic ergo quaſi micat myſterio, quo uti accinit Paulinus Conſularis in *Carm. Baptiſt.* v. 1.

Secundum.

Marlian.

Tertium.

Summus Pater rerum, cœlique æterna poteſtas,
Cum quo noſtra ſalus, Sanctorum gloria Chriſtus.
Spiritus eſt Patri pariter natoque cohærens.

Paulin.

Benavidius in *Horis ſucciſ.* lib. 2. Epigram. 114. etiam alia adducit exempla, ſuccinens:

Alia & alia.

Truditur ex uno triplicatus ceſpite truncus:
Non ſemel ex uno vertice lympha triplex.
Interdùm fundit ternos lux una nitores:
Unaque cum terna cuſpide tela volant.
Extenuat folium ternis ſe partibus unum;
Quod viridi ficus cingit honore caput.
Componunt hominem ternis data munera donis,
Sic dextra factus Numinis unus adeſt.
Ramus, homo folium, telum, lux una valebunt
Unius & Trini ſymbola ferre Dei.

Benavid.

4 Dum in cœna Regis Baltaſaris apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis; *ſapientes non potuerunt nec ſcripturam legere.* Senſum percipere nequibant, qui pleni ſapientia elementa ſcribentis ignorabant. Unde ergo neſcientia, modò obvia luminibus ſcriptura? *Rex*, dicitur, *aſpiciebat articulos manus ſcribentis.* Et quod aſpicit, nec novit, nec legit etiam ſocietate doctorum, in extricationem myſteriorum, inſignium? Utique: manus in huiuſmodi forma ſignata à Chaldæis ipſis in ſymbolum myſterij SS. Trinitatis; ut obſervat Kircherius in *Prodom. Copt.* cap. 8. *Ecce doceo te* (inquit ex Abraham Picol) *quid ſecreti contineatur in ſigno magno literarum.* Unde cùm huiuſmodi myſterium ſit ſupra rationis captum; nec legere ſapientiores quibant, quam ſcripturam videbant: etenim nullo modo poterant intelligere, quod necdum poterant legere. Summitas myſterij eſt eſſentia una in tribus perſonis, quibus conſtat in eſſe divino numerus Trinitatis. Fide legitur, etſi ab humana ratione non cognoſcatur: & Chaldæi myſterium literarum non poſſunt legere, quippe nullo modo poſſunt cognoſcere ſine fide. Obijcitur univerſo, ſupremo orbi, medio & infimo in dextra maieſtate ſedentis liber ſacer ſignatus intùs & foris. *Quis dignus eſt* (dicit Angelica vox) *aperire librum, & ſolvere ſignacula eius?* Ergo aperiundi libri neſcius, erit ad dignitatem indignus. Hiſpan. *Como ſerà digno del Trono, quien no ſabe abrir un libro?* Dignus dicitur, qui non ineptus: & antequàm aſcendat, plauditur dignus; quoniam per apertionem librorum, aſſumendi in faſtigium clarebat meritum.

Daniel. 5. 8.

Verſ. 5.

Kirch.

Fide legitur, quod non cognoſcitur.

Apocal. 5. 2.

In indicaturã ineptus, qui literarũ ignarus.

5 Ergo in Didaſcaliæ inſtitutum. *Nemo poterat* (inſit Ioannes) *neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum, neque reſpicere illum.* Liber hic fœtus ſigillis ſignabat myſterium abſtruſum SS. Trinitatis. Vide Alapide & Alcazar. Duo munera ſignantur in libro clauſo, aſpectus videlicèt & apertio. Aſpectus fidei congruit, quæ obſcurè videt: & dum oſtenditur liber etiam clauſus uti arcanum, potentia negatur oculis ad reſpiciendum; quoniam ratio inſignis & acumen humanæ intelligentiæ ſine fide, nec librum poteſt videre. Videtur ſanè per fidem; aperitur ergo per cognitionem: & etiam ubi per fidem etſi obſcurè conceditur viſio, intellectioni creaturarum negatur apertio; quippequàm eſtò fide innoteſcat arcanum, nemo valebit aperire myſterium. Nemo no-

Verſ. 3.

Incomprehenſibile myſterium Trinitatis.

novit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare, Spiritus Sancti illuſtratione cœleſti. Una eſt ſubſtantia divina, ſed tres hypoſtaſes in divina una ſubſtantia. Deus unus, & non eſt alius, igitur tres unus Deus. Unus & Trinus. Unus in entitate & identitate naturæ, cæterùm in eadem ipſa divinitate tres perſonæ: quatenùs tres ſint differentià proprietatum, & eſſentia individua conſtituens in his tribus unum Deum. Relationibus diſcretis hypoſtaſes diſtinguuntur, & per notionalia attributa fidelibus innoteſcunt: unde claret arcanum, tres & unum; igitur proprietate characteriſticà conſtituitur ac diſtinguitur quęlibet harum perſona, in eadem eſſentia, atque in unica natura.

6 Acumen perſcrutemur Auguſtini in *Epiphan. Domin.* ſerm. 1. *Magi, qui ad illa cœleſtis pueri veneranda cunabula ſtellæ indicio pervenerunt* (inquit) *quid aliud expreſſerunt in illis muneribus, niſi fidem noſtram?* Ergo ſit. An de Salvatore? Non mirum: de Trinitate. *In eo enim* (infit) *quòd tria offeruntur, Trinitas intelligitur: in eo quòd tres ſunt, & ſinguli ſingula offerunt, in Trinitate unitas dicitur*: equidem ſi Trinitatis myſterium, tres perſonæ, quæ ſint unum; patet trinitas & unitas, ubi munerum ſingularis exhibetur pluralitas; in una profectò atque eadem eſſentià veneramur trina munera. Tres Magi ſunt, & tres perſonæ: nomen perſonæ eſt incommunicabile. Conveniunt, & idem ſunt in natura ſpecifica: tres divinæ perſonæ in eadem ipſa natura numerica. Unde cùm in eodem unum ſint, & ſingilatim ſint tres; cognoſcitur perſonarum eiuſdem eſſentiæ diſtinctivum, per munera ſingulorum. Munus Patris innaſcibilitas: munus Filij genitoris imago; munus divini Spiritus ab utroque proceſsio. Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus-Sanctus ab utroque ſpiratus. Conſule D. Thom. 1. *part. quæſt.* 32. *art.* 3. Hinc apud Hebræos *Iehova*, ſeu *Adonai*, nomen Dei tetragrammaton: conſtat elementis *Iod*, *He*, *Vau*. Primum ſignat ſine principio principium, vel quid ingenitum. *He* ſubſtantialem imaginem, per filiationem. Denique *Vau* vinculum, per commune ſpiraculum. Quare cùm ſinguli ſint diſcreti, & ſimul idem in unitate naturæ; per ſingulorum ſeparata munera, conſtat perſonarum divinarum differentia. Aliud in nomine latet, quod ipſe Deus olim homines latêre voluit: unde dixit: *Nomen meum Adonai non indicavi eis.* Adonai idem quod *Domini*. Quare ſi ſingularem quidditatem indicat nomen, in *Adonai* exprimit pluralitatem? Ut declararet, quod celaverat myſterium, per nomen commune & proprium. Proprium eſt ens à ſe & per ſe, quod deſignat *Adonai*: & etiam deſignat numerum in eadem indiviſa natura; ut clareret myſterij Trinitatis excellentia: equidem nequaquàm notum, in eadem ipſa natura pluralitas perſonarum. Natura communicatur, perſona non communicatur: & perſonas diſtinctas, eandemque naturam explicat nomen; ut conſtet in eſſe, quòd ſunt unum, ſed non idem. Impoſsibile videtur identitas & pluralitas. Hæc dicit diſtinctionem, dicit illa communicabilitatem: nomenque ſignat, quod pridem non indicaverat; ut videretur mirabile; cognitum ut impoſsibile: equidem ſummum myſterium, acumen ſuperans hominum; quòd ſint unum eſſe tres perſonæ, atque perſonarum eſſe conſtet incommunicabile. Fide iam fulget, quod olim homines latuit. Ignoramus quod novimus nomen: ambulamus per fidem, non per ſpeciem: cæterùm ſi modò, eſtò illuminatis, arcanum; clarè in cœleſti Sion videbitur Deus Deorum.

Auguſtin.

Quomodò Magi Reges ſpecimen myſterij Trinitatis.

Nominis Dei Iehova myſterium.

Exod. 6. 3.

Olim ignotum in individua natura pluralitas perſonarum.

7 Ita præcinuit David: *Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum.* Arcanum Trinitatis hìc ex Hebræo fonte odoratur Genebrardus. *Deus* dicitur *Deorum*, & propriè; quanvis non ſit alij Dij: igitur Deus Pater genit Filium, qui Deus eſt; & ab utroque procedit Spiritus-Sanctus, qui Deus pariter & Dominus. Ecce inſignis textus: verùm plura occurrunt diſcutienda, uti primo iactu luminum implicatoria. Si Deus ſingulariter dicitur per nomen notum, quare non *ibit*, ſed *ibunt*? Indicat vox ſanequàm pluralitatem. Quid ergo erit, ire ita de virtute in virtutem? Divinæ perſonæ multiplicantur ſecundùm originem: ad originem pertinet à quo alius, & qui ab alio; ut clareſcat perſonarum notio: unde Pater cœleſtis dicitur *Deus*, & dicitur *Deus Deorum*; ut Trinitatis perſonarum ex origine manifeſtetur myſterium. *Deus* Pater, cuius Innaſcibilitas notio; igitur non ab alio, ſed à nullo: *Deus Deorum*, ut eluceat origo aliarum duarum divinarum perſonarum, nimirùm Filij, & Spiritus-Sancti: equidem Filius ab eo, cognoſcitur notione Filiationis, & Spiritus-Sanctus ſpirationis communis. Sic enim ex origine ſine origine, itur in virtutem de virtute: ex virtute fœcundiſsimæ mentis, in fœcunditatem ſubſtantialis amoris: igitur ſi ab intellectu per generationem oritur

Pſal. 83. 8.

Notiones perſonarum.

Filij generatio & Spiritus-Sancti proceſsio.

Filius; ab utriuſque ſanè amore procedit perſona, Spiritus-Sanctus. Perpende emphaſim Davidis. *Ibunt*, ait. Si ſignatè ſingulariter Deus, eſtò Deorum; quomodò non ſingillatim, ſed pluraliter *Ibunt*? Virtus Patris (qui prima perſona prioritate originis) produxit per generationem Verbum: ex hac virtute virtus in Spiritum-Sanctum; cum hoc diſcrimine, nimirùm, quòd Filius à ſolo Patre, ita ut Verbi notio perſonalis ſit filiatio, & Spiritus-Sancti à Filio & Patre proceſsio: unde licèt Pater cœleſtis *Deus virtutum*; connotat genitum, dum dicitur *ibunt* ad virtutem ex virtute; quippe Spiritus-Sanctus non ab hoc vel ab illo, ſed ab utroque.

Verſ. 13.

8 *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* Ex Hebræo N. Genebrardus: *Poſuerunt.* Additque: *Innuent Myſterium SS. Trinitatis.* Unde? Ex pluralitate ſingulari: diciturque *Diſpoſuit*, & *diſpoſuerunt*; ut micet in una ſubſtantia Trinitatis arcanum: igitur myſterij ſumma, tres perſonæ & una eſſentia. Sic *Deus Deorum*, cùm ſit una Deitas, deſignando perſonas: etenim cùm diſtinctio excludat identitatem, & relatio includat diſtinctionem; ſunt in Deitatis eſſentia idem & unum, cum reali entitativà diſtinctione perſonarum. Occulitur, ni fallor, in auctoritate ſubtiliſsimum acumen, in originis perſonarum explicationem: diciturque aptè *Diſpoſuit*, & *Diſpoſuerunt*; ut cognoſcatur Deus Deus increatarum virtutum. Filius à Patre ſolo eſt: tertia ſubſtantialis perſona à Patre & Filio. Per diſpoſitiones patent notiones perſonarum, & perſonales: unde cùm dicitur *Deus virtutum*, dicitur etiam *Diſpoſuit*, & *Diſpoſuerunt*: igitur ſi Pater *diſpoſuit* gignere filium ex fœcunditate mentis; *diſpoſuerunt* ſimul tertiam perſonam amoris: quandoquidem perſona Spiritus-Sancti à vinculo cordis procedit utriuſque. Fœcundiſsima clarent viſcera Davidicæ auctoritatis, etenim effulget notio ſpirationis communis. *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuerunt*: per Patris æterni intelligentiam, à Patre & Filio aſcenſus in cordis flammam. Verùm ſi ita aſcenditur diſpoſitione mirabili utriuſque; cur non dicitur *in cordibus*, ſed *in corde*? Ut rutilaret Spiritus-Sancti proceſsio, & communis Patris & Filij ſpiratio. Si diceretur *Cordibus*, in utroque eſſet amor, ſed eſſet amor diſtinctus. *In corde* amor in diverſis perſonis idem & unus; ſicut una perſona Spiritus-Sanctus: unde huiuſmodi aſcenſio non *cordibus*, ſed *corde* tantùm utriuſque; quippe non à Patre, vel Filio procedit, ſed ab utroque: igitur non à duobus, ut duobus tertiæ perſonæ proceſſio; ſed à duabus perſonis, tanquam ab uno principio. Ecce Trinitatis myſterium: ſic itaque credendus, ut videatur Deus Deorum.

Verſ. 6.

Genebr.

Myſterij ſumma, tres perſonæ & una eſſentia.

Communis ſpiratio, ex qua tertiæ perſonæ proceſsio.

9 *Hoc verè unum, in quo nullus eſt numerus* (ait Bernardus lib. 5. de *Conſider. ad Eugen.* cap. 7. num. 17.) *Trinitas eſt tamen Deus. Si tria, quomodò non numerus? Si unum, ubi numerus?* Habetur namque quid numerandum, & quid non numerandum: equidem numeratur Trinitas, & non numeratur Deitas; quoniam in tribus una Deitas, una ſubſtantia, una divinitas. Numerus eſt, ſed non quantitatis numerus: equidem ſicut in Deo unitas nihil eſt, niſi negatio diviſionis; pariter trinitas nihil eſt, niſi negatio unitatis: diciturque Deus & trinus & unus; quatenùs per pluralitatem removetur perſonarum unitas, & per unitatem naturarum pluralitas. Verùm hoc apud DD. Scholaſticos cum D. Thoma 1. *part. quæſt.* 30. *art.* 3. Modò ex attributis perſonarum aliquod à nobis cogitandum myſterium. *Magnus Dominus noſter* (inquit Pſalmiſta) *& magna virtus eius: & ſapientiæ eius non eſt numerus.* Attributa niteſcunt Trinitatis in tribus divinis perſonis. Magnitudo Patris æterni, Sapientia Filij, Virtus Spiritus-Sancti; ut intelligat humana natura ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia. Sit ergo: verùm inquiro: Cur aſſeritur non eſſe numerum Sapientiæ, & neutiquam de virtute, ac magnitudine? Clariùs in propoſitum. Sapientia Verbum eſt: nec Pater, neque Spiritus-Sanctus habet numerum: ergo quorſùm, Filium non habere numerum Pſalmiſta exprimit; ubi nec magnitudo, nec virtus numerum habet? In Patre & Filio & Spiritu-Sancto, ſenſu quo ſupra, cogitatur perſonarum numerus: hinc Deus trinus. In ſingulis perſonis, ſicut in eſſentia, numerus non eſt, cùm quælibet una ſit: quare igitur non dicitur de prima, & tertia perſona, quod dicitur de ſecunda, quæ Sapientia? Quia à nulla caro ſumenda, niſi à ſecunda. Huc tanquàm in ſcopum Pſaltes ſpectat: verùm quid, quòd numerum habeat vel non habeat? Maximum, in confutationem hæreticorum. In divinis pluralitas non à natura ſumitur, ſed à perſonis: in Sapientia Verbo Dei carne facto, nequaquàm a perſona, ſed à naturis: unde licèt in Trinitate ſit numerus deſtinatus, Sapientiæ eius non eſt numerus; quoniam etſi in Filio

Bernard.

Numeratur Trinitas, ſed non Deitas.

Pſalm. 145. 6. 5.

In Chriſto duplex natura, & una perſona.

Tres perſonæ in unitate ſubſtantia.

Dei duplex natura divina & humana; ſolummodò una perſona.

Quomodò in myſterio Trinitatis & Incarnationis ſumma conſonantia, & cum ſumma differentia?

10 Deinde: In Chriſto, homine Deo, eſt quid numerandum, & quid non numerandum: in Trinitate etiam invenies, & non invenies numerum. Eſt mirabile arcanum in numero & non numero tàm in mundo, quàm in cœlo. Perſpicitur in ſummis & in imis ſumma harmonia, at cum ſumma differentia: equidem ſi fulget in Trinitate triplex perſona numeranda, & una non numeranda natura; in Chriſto numeratur duplex omninò natura, & non eſt numerus ibi, quia unica tantùm perſona. Ut per amplius & perfectius contrapoſitio conſtaret, Mellifluus Doctor in Chriſto, & in Trinitate ternarium etiam invênit. *Adverte* (infit ubi ſuprà *cap.* 10. *num.* 23) *in hoc mirabili Incarnationis Sacramento, miræ, & excellentiſsimæ diſtinctionis gradus: novum, antiquum, æternum. Novum, animam, quæ de nihilo tunc creata creditur, cùm infuſa. Antiquum, carnem, quæ à primo uſque homine, id eſt, ex Adam traducta cognoſcitur. Æternum, Verbum, quod ab Æterno Patre coæternum illi genitum indubitatà veritate aſſeritur.* Eſt alia eſſentia corporis, alia animæ, & alia Verbi. Alia eſt perſona Patris, alia Filij, & alia Spiritus-Sancti. Patet in myſterijs contrarietas, & utriuſque mirabilis ſingularitas: igitur ſi in Trinitate tres perſonæ & una eſſentia; in Incarnatione Verbi tres eſſentiæ inveniuntur in una tantùm perſona. Iuxta numerum naturarum, in Sapientia Patris Neſtorianus fingit perſonarum numerum: non eſt numerus Sapientiæ eius, ut deliravit Neſtorius: ſiquidem unica tantùm perſona tàm in divina, quàm in humana natura. Habet Catholicus in Chriſto, ſicut in Trinitate, quid numeret, & quid non numeret: in Trinitate perſonas, in Chriſto verò naturas: in Trinitate naturam, in Chriſto verò perſonam: equidem ſicut perſona triplex in una & eâdem natura; pariter duplex natura in una & eâdem perſona, æquali ſecundùm divinam Patri, & inæquali; ſed ſecundùm formam ſervi

Bernard.

Quid in Incarnatione Novū, Antiquū Æternum?

Iſai. 48.15.

11 *Ego ego* (dixit Pater) *locutus ſum, & vocavi eum & adduxi eum.* Quem loquens vocavit, & in quod Pater adduxit? Filium ergo, quem genuit per locutionem, & adduxit in carnem: igitur præcepit ei, qui Filius eius erat, quòd homo fieret, & haberet matrem in mundo, qui non habebat niſi patrem in cœlo, Chald. pro *Ego ego*, legit: *Ego in Verbo meo.* Quomodò? *Ego ego* exprimit identitatem, *in Verbo* autem diſtinctionem: notæque exprimuntur identitatis, & diſtinctionis, in ſplendorem myſterij SS. Trinitatis; quo Pater & Filius idem ſecundùm naturam, & non ſecundùm perſonam: igitur iuxta huiuſmodi ſingularem expreſsionem ijdem ſunt, ſed non ſunt idem. Innuit Filius alloquens Apoſtolos: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Faciam?* Faciet, ſiquidem gratiam à Patre dignandus petit. Si ille faciet, ab illo gratia petatur: quare igitur ſi Filius facit, à Patre petitur? Quinimò Pater quomodò poſtulata concedet, ſi Filius facit? Ut conſtet eadem utriuſque natura, & ſimul hypoſtaſeon differentia: dicitque Filius facturum & effectivè, quicquid diſcipuli petierint à Patre; igitur gratia à ſingulis idem eſt, quia ille & Pater idem ſunt. *Patrem* & *faciam*: cùm Chriſtus non ſit Pater, Enallage de prima in ſecundam, oſtendit diſcretam utriuſque perſonam, & individuam naturam: equidem etſi in natura unus ſinguli non ſint, unum & Pater & Filius in ipſa natura ſunt.

Chald.

In myſterio Trinitatis pluralitas & identitas.

Ioan. 14. 13.

Enallage. Pater & Filius unum ſunt, ſed non ſunt unus.

12 Quod claret in prima, etiam dixit de tertia Trinitatis Perſona. *Paraclitus autem* (infit) *quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcunque dixero vobis.* Tota ſimul Trinitas innoteſcit. Pater mittit, Filius dicit, Spiritus-Sanctus docet. Si hi tres unum ſunt, quo igitur intuitu quaſi diſsimilia hæc? Innuitur diverſitas, dum in eadem ſubſtantia præſumitur unitas: ſignaturque diſtinctio muneris, etiam in expreſsione unitatis; ut cognoſcatur diſtinctio perſonarum per munera ſingulorum. Aliquid dignum utique obſervatione obijcitur menti ex præfata auctoritate. Spiritus-Sanctus, ſeu *Paraclitus docebit omnia, quæcunque dixero vobis*: dicit generis humani Aſſertor. Quomodò ſi hic dicet, Spiritus Paraclitus docebit, cùm quæ docenda à dicente doceantur, & quæ dicenda à docente locutione demonſtrentur? Si ille dicit, ille docet: & quæ Filius dixerit, Spiritus utique Sanctus veniens è cœlo, docebit; quoniam ſi Filius & Spiritus Paraclitus ſunt diſcreti in actionibus ad intra, unum idem indiviſibile ſunt in actionibus ad extra. Mittit Pater, dicit Filius, docet Spiritus-Sanctus. Mittit Pater, qui non mittitur, nec poteſt mitti; quoniam à nullo habet eſſe. Mittit Filius, qui etiam miſſus, equidem à Patre genitus. Mittitur Spiritus-Sanctus, qui non mittit; quoniam ab illo nulla perſona procedit: & Filius mittit, quanvis Pater mittat; & etiam docet, licèt Paraclitus doceat; quippe etſi diſtinctæ proprietatibus perſonæ, conveniunt ſanè in unitate naturæ. Canit ubi ſuprà verſ. 900. S. Proſper:

Verſ. 26.

Unum in actionibus ad extra qui ſinguli in actionibus ad intra.

Nullum eſt opus abiunctum, nulla eſt non
æqua poteſtas:
In cunctis unum ſunt tria principium.

DIDASCALIA II.

Petri fides cœli ianua, & fidei ſumma.

1 HAbemus per Petrum in imis, quod myſterium pridem tantùm cognitum in cœlis: equidem ſi ſolùm conſtabat de unitate Deitatis; trium perſonarum, quæ Deus, per Petrum clarent notiones. *Filius columbæ*, id eſt, Spiritus-Sancti (ut ait Hieronymus lib. 3. *Commentar. in Matth.*) vertex Apoſtolatus plauditur; quando *Chriſtus Filius Dei vivi* ab illo dicitur: igitur ſi myſterium, tres perſonæ in unitate eſſentiæ; poſtquàm noti per Petrum Pater & Filius, claruit Spiritus-Sanctus. Illuſtris ſanè confeſsio, & fidei amplificatio: igitur cùm ex notionibus conſtet perſonarum pluralitas, atque ex Deitate eſſentiæ & ſubſtantiæ unitas; myſterium totum & totaliter claruit, ſimulac Petrus confeſsionem protulit: quandoquidem notum myſterium non ſolùm quoad naturæ identitatem, ſed etiam quoad perſonarum divinarum diſtinctionem. Sic ergo extollitur à Chryſoſtomo apud Lippoman. p. 1. *Fervens ſpiritu, Angelus & homo, gratià plenus, ſolida petra, vetus Eccleſiæ ſenſus.* Fervens ſpiritu etiam inter anguſtias deprehenſus flagrante dilectionis igne: Angelus & homo profundà ſubtilitate: gratia plenus ex Patris revelatione: petra ſolida inconcuſſà fide; & vetus Eccleſiæ ſenſus ſublimis, ſupra ſenſum profectò Eccleſiæ veteris: igitur Synagoga tantùm credidit unam Deitatis ſubſtantiam; Petrus autem perſonarum Deitatis differentiam, quam orbis per illum fideliter profitetur; quippe ſuper hanc petram Eccleſia nova fundatur: cuius ſanè voces, ut accinit Paulinus *Epiſt.* 2. ad Auſonium, verſ. 16.

Hieronym. Mat. 16.16.

Ex Petri cōfeſsione tres perſonæ in unitate eſſētiæ.

Chryſoſt.

Petri encomia.

Et penetrant ſuperi ſtellantis regis in aulă.
Qui trifido igne micat, nec inania murmura
miſcet:
Qui ſuper omne quod eſt, & in omni totus
ubique
Omnibus infuſo rebus regit omnia Chriſto,
Quo mentes tenet, atque movet.

Paulin.

2 *Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt alius præter eum*: dicit Eccleſiæ veteri Moyſes. Novæ verò Petrus de Chriſto: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Iam eſt alius, nimirùm Deus vivus & Filius eius: quomodò Petrus ſignat alium; dum aſtruit Moyſes, non eſſe alium præter eum? Idem uterque aſſerit, cæterùm Petrus diſtinguit. Eſt alius, & non eſt alius: eſt alius, ſed non eſt aliud: non aliud, quia in Deitate Pater & Filius ſunt ipſe: & eſt alius, quippe alius à Patre Filius, quorum diſtinctionem deſignat Petrus: quandoquidem ubi Moyſes Eccleſiæ veteri ſignat unius Deitatis myſterium: orbi toti, novæ Eccleſiæ Petrus aſtruit diſtinctionem perſonarum. Hac fide Princeps Apoſtolorum mentes movet, mentes tenet mirabili confeſsione, glorià mundi & glorià cœli: etenim arcanum olim incognitum, iam per Petrum revelatum. *Achatem* (obſervat Cardanus de *Lapidib.* cap. 7.) *quo hemiſphærium cœleſte cum terra undis incumbante depictum, & alia mirabilia.* De huius lapilli mirabilibus videſis Plin. *lib.* 37. 1. Ruëum *lib.* 2. 16. & Anſelm. Boëtium *lib.* 2. cap. 95. Achates in ædificio novæ deſcendentis de cœlo Ieruſalem, ſignat Petrum, de genitoris & Filij divinitate proferentem teſtimonium: equidem ſi nihil mirabilius in Empyreo, quàm Salvatoris æterna generatio, Deus verus de Deo vero, lumen de lumine, tanquàm figura ſubſtantiæ; quicquid notum per hemiſphærium cœleſte, profeſſione Petri claruit in terrarum orbe. Habitavit gloria in terra noſtra cum huiuſmodi notitia: igitur nulla maior, nec pretioſior, quàm qui notus in Iudæa Deus unitate naturæ, cognoſceretur etiam perſonarum diſtinctione. Hinc dum Trinitas claruit, nova Eccleſia è cœlo deſcendit: ſiquidem quo fundatur in terris, deſcendit in Petrum ex revelatione Patris.

Deut. 4.35.

In illo novă cur fundatur Eccleſia?

Cardan.

Apoc. 21. 8.

Quæ cœleſtis, in orbe terrarū viſa.

3 *Hæc eſt autem vita æterna* (dicebat genitori mundi Salvator, paſsioni proximus) *ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum-Chriſtum.* Cur autem non Spiritum-Sanctum? Literaliter diximus in *Expoſit.* num. 17. tropologicè dicemus *Tautolog.* 7. *Didaſc.* 4. num. 16. Quare igitur ſi vita æterna eſt in cœlo, in terra erit vita æterna huius myſterij cognitio? Alia eſt cognitio per fidem, atque alia profectò per ſpeciem: & licèt fides non ſit in gloria, illi adhæret vita æterna; quippe hìc poſsidet homo per fidem, quicquid in cœlo adepturus per viſionem. *Hæc eſt*

Ioan. 17.3.

Metonymia.

vita æterna: metonymicè, id eſt, cauſa vitæ æternæ, quæ conſiſtit in fide. Unde fides in felicitatem huiuſmodi cognitionis? A cognitione Petri, Chriſto dicentis: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*: cùm in cœlo ſit gloria, huius fidei cognitioni annectitur vita æterna; quoniam quod videtur in cœlo, per fidem Petri cognoſcitur in hoc mundo. In cœlo myſterium videtur clarè, in terra cognoſcitur etſi obſcurè. Species nulla in cognitione hominum, Dei habentis nec in humana, nec in divina conditione filium: hæc eſt Filij & Patris gloria: cuius cognitioni adiungitur vita æterna; quippe nil plus ad beatitudinem hominis, quàm quod Petri dicat fides, de quo nec erat ſpecies. *Novum erat & difficile* (inquit Alapide hìc) *creditui, tanquàm baſis reliquorum credendorum.* Nemo noverat Filium, niſi Pater; neque Patrem, niſi Filius, vel cui uterque voluit revelare: ſignaturque Petri gloria ex revelatione facta: eò quòd cognoſceret revelatione Petrus, quæ cognoverant duntaxàt Pater & Filius. Patrem Filius cognoſcit: cognoſcit etiam Pater Filium, quem genuit; ſed mundus non cognoverat neque Filium, neque Patrem: difficile profectò & novum erat in fidem: manifeſtatque Petrus, quod non cognoverat mundus; ut quod novum, fide Petri non videretur difficile. Perpende: *Nemo novit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Filius revelat, Quis Pater. Signatur Chriſtus à Petro Filius Dei vivi: & illi dicitur: *Revelavit Pater meus, qui cœlis eſt.* Pater revelat, Quis Filius: & utrumque per revelationem Petro; ut utriuſque eſſet in mundo cognitio: equidem Patrem cognovit orbis per Petrum, & quem miſit Ieſum-Chriſtum. Non dicit tantùm de Salvatore: *Tu es Deus*, ſed clarà inſigni illuminatione: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Qui dicit Filium, notat & Patrem: qui ſignat genitum, annunciat & genitorem: quem miſit ut carnem aſſumeret, & quis miſit. In cognitione utriuſque ſtat trames vitæ æternæ: Petruſque in huiuſmodi gloriam ſemitam ſignat, dum utrumque manifeſtat; igitur eius fide cognovit mundus ignarus, quis erat Pater & Filius.

Quod videtur in cœlo, fide Petri cognoſcitur in hoc mundo.

Alapid.

Unde gloria Petri & mũdi?

Matth. 11. 27.

Cap. 16. 17.

4 Poſt tractum Petri confeſsionis illuſtris ſecuta eſt gloria corporis Salvatoris. Theatrum ſanè illuſtre, nec unquàm viſum in orbe, auctoramine teſtium in divinitatis teſtimonium, terrà amictà lumine ex ſpendore radiantis undique cœli.

Cunctis lumen agit, radians nam teſtibus amplo
Diſcipulis fulgore tribus; velut igneus ardor
Solis in æthereAm verſus ſplendore figuram.
Quid quòd & Eliam & clarum viſere Moyſen?
Ignotos oculis viderunt lumine cordis,
Ut maior ſit noſtra fides.

Sedulius.

Succinit Sedulius lib. 3. *Carmin.* à v. 277. Quid, dum ita exultat mundus, Pater æternus? *Hic eſt Filius meus dilectus.* De cœlo voce Patris auditur, quod idem & de eodem Petrus cunctis fidelibus loquitur: firmatur profectò à gloria, quicquid à Petro prolatum in terra: quæſtionem in terris ſolvit myſterij difficilis; & eiſdem vocibus, queis aſſertio facta in cœlis: unde Petri prolationem ſanè Pater revelavit; quippe nihil dixit Petrus præter id, quod Pater dixit. Notitia Patris & Filij ferenda mundo, ut hominum poſſet eſſe, in cœlo glorificatio: & Petrus diffinitione revelat, quicquid è cœlo cognoverat, perviâ vitæ æternæ gloria ex huiuſmodi ſententia: quandoquidem à Patre aſtruitur è cœlo, quod Petrus illuminatus dixit de Patre & de Filio. Cœlum transfiguratione Salvatoris aperitur, ubi cœlum, quod locutus Petrus, loquitur: igitur, ſi huiuſmodi cognitio vita æterna, & in vita æternà gloria, claret ſplendor gloriæ, atque radius vitæ æternæ: igitur confeſsione Petri, quod olim clauſum, cunctis aperitur cœlum. Cœlum ſibi primus Petrus aperuit. Diffinitionem de Chriſto protulit, ut omnes crederent per illum; & ſtatim audit huiuſmodi encomium: *Beatus es Simon Bar-Iona.* Beatus in gloria, nequaquàm in terra. Unde beatitudo Petri? Ex confeſsione: etenim cùm beatitudo, & mentis glorificatio ſint Filij & genitoris cognitio; Filius meditanter vocat beatiſsimum Petrum; quia per illum orbis Patrem cognovit, & quem miſit Ieſum-Chriſtum.

Cap. 17. 5.

Firmatur è Impyreo quicquid prolatum à Petro.

Cur à Chriſto plauditur felix?

Cap. 16. 17

5 Notanda connexio inter Petri profeſsionem ſignantem Chriſtum ut Numen, atque clavium traditionem. Confeſſus eſt Chriſtum, qui illi actutùm dixit: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Quid claves cœli cum Petri revelata confeſsione? Signaculum beatitudinis, atque Petro creditæ poteſtatis: equidem cùm fides aperiat ianuam, ut credentes ingrediantur in gloriam; fidei Petri, Chriſtum Numen confitentis, cœleſtes tradidit claves: poteſtatem conceſsit, atque Vicarium conſtituit; ut habentibus fidei Petri nobiliſsimum ſignaculum, aperiret credentibus regna cœlorum.

Verſ. 19.

His

Arator.

His ſolidata fides, qui portam pandit in aſtris.

Canit Arator lib. 1. in *Act. Apoſtol.* verſ. 1058. Aſtra patent Petri ſequentibus fidem; quippe ſine Petri fide clauduntur cœli. Munus clavium eſt aperire & claudere oſtium: & Petro non committitur officium clavis, ſed clavium; ut credentibus aperiat, atque infidelibus claudat: igitur nemini aperiuntur cœli, ſine Petri confeſsione. Claves cœlorum ſignantur, illicò ac Petri fides auditur. Idem fides, ac cœlorum claves, quoniam clavis Petri fides, qua aperuit cœlorum ianuam, ut fideles illuſtrati ingrederentur in gloriam. *Iam in univerſa Eccleſia Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, quotidiè Petrus dicit, & omnis lingua* (inquit Leo Pap. ſerm. 2. in *Anniverſ. aſſumpt. ad Pontific.*) *quæ confitetur Dominum, magiſterio huius vocis imbuitur*: etenim ut cœlorum pateant aditus, credere debet fidelis non aliud, quàm dixit Petrus.

Petri fides gloriæ clavis.

Leo Pap.

6 *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, præ omnibus à Chriſto interrogatis reſpondit, & pro omnibus. *Cunctis Petri forma proponitur*: ait Leo ubi dudùm: quorſùm ergo forma? Ut formetur Eccleſia, & informetur: equidem fide Petri Eccleſia informata formatur; quippe non erit Eccleſia, ubi Petri dicentis non fuerit forma. Eccleſia formanda ex præputio & circunciſione, ex Synagoga, atque Gentilitate. Conſideremus ex utraque teſtimonium, ut eluceat inconcuſſum ædificium. *Verè Filius Dei erat iſte*: dixit Centurio ex Gentilitate cæca. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti*: dixit Martha ex vigili Synagoga. Synagoga atque Gentilitas proferunt idem à Petro prolatum? Utique. Forma præſcribitur, ut Eccleſia ex Gentilitate ac Synagoga formetur: unde dum divinitatis Chriſti formatur articulus, dicunt quod protulit Petrus; quippe uterque populus in Eccleſiam fateri & credere debet, quicquid caput Eccleſię dixit & dixerit. Omnes quiqui dederint nomen Eccleſiæ, per portam hanc ingreſſuri: equidem fides ſine fide, perpera & dubia, ubi Petri non eſt forma. Fallitur Seneca in *Præfation. Controverſ.* dicens: *Non unus, quanvis præcipuus ſit, imitandus; quia nunquàm par ſit imitator auctori. Hæc natura rei eſt: Semper citra veritatem eſt ſimilitudo.* Similitudo erga Petri fidem ſemper iuxta veritatem. Par fit imitator auctori in profeſsione Catholicæ fidei: unus, quippe caput, imitandus, nimirùm Petrus: igitur cùm ab illo ſit forma, quæ à revelatione Patris, ſemper in credente auditur magiſterium huius vocis.

Idem.

Mat. 27. 54.

Ioa. 11. 27.

Fides ſine fide verà, ubi fidei Petri non eſt forma.

Senec.

7 Cuncti qui ſequuntur formam, ſequuntur vitam æternam; quin repellantur ab arcibus, quos fides Petri congregavit de nationibus: igitur ſi oſtiarius aperit, profectò fidem cognoſcit.

Quos oriens occaſus habet, quos Africa & Arctos,
Quoſque ſepultat humus, cingit & oceanus,
Æthiopes, Thraces, Arabes, Dacus, Indus, Alanus,
Gaudia viſuri regis in arce poli,
Quos recipit ſacra porta Petri.

Venant.

Modulatur Venant. Fortunat. de *Virgin. partu*, verſ. 285. Hinc Chriſtus dixit Synagogæ: *Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus paſtor.* Quomodò ergo, ſi ut ſuas habet, quæ ſunt ſuo ex ovili rationales oves, aſſerit, habere ut proprias, quæ non ſunt ex hoc ovili? Deinde: Sunt & habentur ut propriæ, dum habentur in caulam congregatæ: minimè congregatæ, ſi illas oportet adducere: unde igitur iam habentur, ſi ſecluduntur? *Vocem audient.* Quamnam vocem? Paſtoris vel oſtiarij? Petri, vel Chriſti? Utriuſque: diciturque Chriſti, quæ vox Petri; igitur quilibet, ubi Petri audita vox, audient vocem Filij Dei. Iam oves ex Synagoga contraxerat, ſed alias oves habebat; nimirùm Gentiles, qui futuri, ſed non erant oves: & Chriſtus deſignat ut proprias, per fidem Petri adducendas; etenim in ovile adducendæ Petri voce, quæ priuſquàm audirent, non erant ex hoc ovili. *Habeo* dicit Chriſtus pro *Habebo.* Fide ac profeſsione ingrediuntur in Eccleſiam: ad ingreſſum ex Petro profeſsionis habent formam: Chriſtuſque, quos oportet adducere, dicit habere; quoniam iam dixerat Petrus, quicquid mundus crediturus, ut in ovile ovium concederetur introitus. Oſtiarius huius ovilis Petrus eſt, & Chriſtus paſtor. Oves ſignat paſtor, ut cognoſcat: claves habet oſtiarius, ut aperiat, habetque Chriſtus, quos erudit fide Petrus; equidem ſignum, quòd Gentilitas paſtorem divinum credidit, ſi oſtiarius aperit. In omnem terram ſonus vocis Petri audiendus, quo in verum Numen convertendus mundus: Chriſtuſque ſignat ut poſſeſsionem, audiens Petri audiendam fidem, traditque cœlorum claves; ut quæ non ex hoc ovili numerentur tanquàm oves: igitur

Ioa. 10. 16.

Vox Petri, vox Chriſti.

Enallage: præſens pro futuro.

tur per formam Petri, confitentis Salvatorem Filium Patris; ingreſſurus in ovile & cœlum terrarum orbis.

8 Viſio facta Apoſtolorum Principi, converſionem indicat Gentilium, igitur per Petrum illis patulum cœlum. Deſcribit Prudentius in *Enchirid.* verſ. 183.

Prudent.

Somniat illapſum Petrus alto ex æthere diſcum,
Confertũ omnigenis animalibus: ille recuſat
Mandere, ſed Dominus iubet omnia munda putare.
Surgit, & immundas vocat ad myſteria gentes.

Act. 10. 11. 12. 16.

Vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam, in quo erant omnia quadrupedia & ſerpentia terræ, & volatilia cœli::.& ſtatim receptum eſt vas in cœlum. Petrus viſis hæſit, nec pro tunc intelligentiam viſionis habuit. Gentilis adeſt, cognoſcit; & etiam, cur cœlum apertum vidit: equidem cùm fides eius ſit clavis, credentibus aperiens regna cœlorum; ſanequàm tractui opportunum, proferre fidem, & à cœlo ſignari perpetuam felicitatem: equidem ut ingrederentur fide Petri credentes in Chriſtum, tunc vidit cœlum apertum. Nihil coinquinatum intrat in gloriam: Gentes immundæ per idololatriam, & illi traditur, quicquid cultu idolorum coinquinatum invenitur; ut magiſterio vocis ex revelatione Patris, in cognitionem perduceret veri Numinis, Salvatoremque oſtenderet Deum hominem, cuius non habebat fidem: equidem ſi fidei Petri Gentes præbebant auditum, non cœlum tantùm habebant, ſed reſeratum. Reptilia Petrus & ſimul apertum cœlum aſpexit; ſed expavit, viſum horruit. Non intellexit, quanta fidei efficacitas, ut in ovile adduceretur Gentilitas: igitur eius voce, atque eius fide, populi crediturі Gentilium, quos Petrus reputabat tanquàm vas perditum.

Per Petrum cœlum habetur, & reſeratum.

9 Ulteriùs. Oves in Eccleſiam atque gloriam ingrediuntur, reptilia prorsùm arcentur: & gentiles fide imbuendi perducuntur ad Apoſtolum, cui oſtenditur pervium cœlum; ut magiſterio huius vocis portam cognoſcant ovilis: etenim cœlo obijciuntur ut oves, qui à Petro excludebantur uti ſerpentes. Petrus ut oſtiarius claudebat oſtium, ne ingrederetur in ovile venenum: ne ſub ovina pelle dehoneſtaretur ovile, fieretque ovile ſerpentium, quod ſolùm ovile ovium: idololatria converterat in ſerpentes: & dum fides prædicatur, à paſtore oſtiario cœlum apertum oſtenditur; quippequàm Gentilitas Petri fide, depoſitura in ovile venenum idololatriæ. Perpende: *ſerpentia terræ & volatilia cœli.* In Gentilitate ſimul? Nullo modo. Indicatur per Petrum facta converſio: igitur iam volatilia, quæ calcabantur ſerpentia: ingredientibus ſine veneno volatu Fidei in cœlum, quiqui ſerpentes virulenti deſcenſuri uſque in abyſſum. Iam igitur volant, qui ſerpebant. *Conculcandæ philoſophiæ opiniones* (ait Leo ſerm. 1. de *Petr. & Paul.*) *hìc diſſolvendæ terrenæ ſapientiæ vanitates, hìc confutandi dæmonum cultus, hìc omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda; ubi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum, quicquid uſquàm fuerat vanis erroribus inſtitutum.* Iam mundi apparent, qui deſpiciebantur immundi, efficaci prædicatione Petri: Petroque creditur inquinati mundi mappa, ut eius clareſcat gloria: equidem ſi ſordes cultus ſuperſtitioſus idolorum, per Petri fidem Salvator mundavit orbem terrarum. Hinc additur: *Statim receptum eſt vas in cœlum.* Statim. Fides reſerat, quod perfidia clauſerat: ſtatimque aperitur clauſum cœlum; quoniam nullum intervallum inter apertionem cœli, atque cognitionem Dei, & quem miſit, Ieſu-Chriſti. Receptum eſt vas in cœlum quod ſerpentinum, cæterùm veneno vacuum: equidem Petrus perduxit in cœlum oves, quos ante fidem præviderat ut ſerpentes. Iam ovile plenum, & cœlum patulum: igitur in illud miſit ut agnos, quos in Eccleſiam cogitabat ut colubros.

Sunt oves, qui ſerpentes; volatilia, quadrupedia.

Leo Pap.

Per illum converſus orbis terrarũ.

10 Diſſolvitur modò antilogia. Committitur Petro cura dominici gregis, erga paſtorem præmio vehementis amoris. *Paſce agnos meos: paſce oves meas*, illi dicit Salvator.

Ioa. 10. 15. 17.

Explorat Dominus, Petrus annuit: ergo nitentes
Paſtor amans augere greges, operario in omni
Parte bono commendat oves, commendat & agnos.

Sedul.

Ait Sedulius ubi ſupr. *lib. ultim.* verſ. 412. Agnos & oves? Difficile prorſum argumentum, dum Chriſtus mittit *in medio luporum.* Quomodo ſi convertendi lupi, erunt vel oves vel agni? Quia convertendi. Non dicit Chriſtus abſolutè *oves* vel *agnos*, ſed *oves* & *agnos meos*: equidem cùm conditionem humanam corrumpat prava malitia, atque perficiat delapſa de cœlo gratia; homines pravi, qui corruptione lupi, ſi mei fuerint, erunt oves & agni. Hi imbuendi articulis fidei in cognitionem

Matth. 10. 16.

nem veritatis; quippe erroribus diſsiti à ſocietate ovilis. Notitiâ veri Numinis, qui cæci in ſuperſtitionem, accepturi fidei lumen: & Petro fidei qui dedit omnibus norman, credit agnos & oves pertinentes ad Eccleſiam; quippe magiſterio fidei, perſpicuâ Divinitate, quos Petrus invênit ſerpentes, mutavit in oves: quos verò invênit lupos, fecit & agnos. Oves ergo Petrus paſcit, verùm quas ex lupis fecit. Virtute Verbi ceciderunt conditione, & gratia fidei glorioſè oſtenta poteſtas Petri: igitur habet quaſi inter oves ſacrum ubique regnum, ſtans in medio luporum. Adhuc vivit, quanvis Romæ corpus iacet, imò floret. Ibi, ubi Italiæ, mundique caput, dominus urbis & orbis: quò, ut ait Fortunatus ubi ſuprà:

Et fecit oves ex lupis.

Natio, gens, populus, regiones, agmina, reges,
Undique currentes ad nova dona Patris.

Fortun.

DIDASCALIA III.

Virgo virginum pax hominum.

1. HInc belli tempus in hoc miſero mundo, donec viſa in mundo Virgo. Volavit in cœlum ut poſſideret gloriam, quæ uti vera Sulamitis pacem emiſit in terram, arcus conterens, arma confringens, ſcuta comburens; ut viderentur eius æſtimabili præſentiâ, quæ ſuper terram poſuit Dominus prodigia: verùm cùm diſcordia hominum ex eius abſentia gliſceret; inclinavit cœlos & deſcendit. Pax deſignata per Saturnia tempora. Aptiùs à Virgine ſigna, quandoquidem perturbato Toleto, pax optata cœlo demittitur alto: igitur Virginis præſentiâ unum cunctorum diſsidijs flagrantia corda.

Pacem Virgo ponit fines Eccleſiæ.

Virgil.

Iam redit & Virgo: redeunt Saturnia regna.

Olim Aſtræa, quæ virgo, ob bella hominum receſsit à mundo: unde Seneca in *Octav.* verſ. 416.

Senec.

Neglecta terras fugit, & mores feros,
Hominum cruenta cæde pollutas manus
Aſtræa virgo, ſiderum magnum decus.
Cupido belli crevit.

E contrà Deipara virgo, etiam reſidens in cœlo: à quo deſcendit, dum perfidia furit, ut illapſo ſiderum magno decore, pacem poneret viſa fines Eccleſiæ.

2 Tractus belli & pacis notus, ſed referendus. Deditur Alphonſo VI. Toletum, retentum à Mauris, ea conditione, ut maior, ampliorque baſilica, in Meſchitam ab illis mutata, maneret illis in uſum Mahumeticæ ſacrilegæ ſuperſtitionis. Annuit Rex, ingreſſus triumphator urbem; ſed illicò raptus reipublicæ curis, reverſus eſt in Legionem: quo abſente, ac reginâ iuvante, Bernardus San-Facundinus Monachus, & Primas atque primus Toleti Archiepiſcopus, noctis ſilentio, valida militum manu, Meſchitam ingreditur, loco potitur, luſtrat, conſecrat, officium divinum celebrat, turrim campanulis ornat, imaginibus ſacella venuſtat, altaria erigit, ſacrarium conſtruit, cunctaque ex animo egit, quæ ad cultum Dei neceſſaria cognovit. Mauri conſcij ringunt, fremunt, fractam videntes deditionis conditionem, regis vulneratam fidem, unde circuibant ſicut canes civitatem. Querela pervênit ad regis aures, qui furenter excanduit ob diſcrimen amiſsionis urbis, ſuccenſuitque ita in reginam & Bernardum, ut iuraret eorum ſupplicium, alijs ſanè futurum in exemplum. Verùm, Deo auſpice, atque Dei genitrice (quippe eodem ipſo die tractus contigerat, quo illa ad honorem Ildephonſi de cœlo deſcenderat) cuncta in concordiam redacta, in cuius nexum à cunctis videbantur impoſsibilia: equidem cedentibus Mauris, in gratiam regis Conſtantiâ & Bernardo admiſsis; ceſsit templum inſigne in uſum Chriſtocolarum, ac in perpetuum. Unde ob rei memoriam titulo *Pacis* celebrarunt Mariam, quoniam eodem die, quo ex Empyrio deſcendit ad Sacellani decorem, tam Chriſtianis, quàm Mauris contulit pacem.

Hiſtoria Mariæ de Pace.

Virgo beata cœlitum
Mater, regina Spiritùm,
Concepta, ſacro munere,
Ab omni labe criminum,
Cœlos en alma deſeris.

Hymn.

3 Notum, Athenis celebratam Divam Pacis, cuius inſigne ramus olivæ florentis, uti obſervat Vincent. Chartar. in *Mercur.* fol. 212. additque: *Hanc Deorum diligentià, ac benignitate in terram delapſam.* Quia à Vulcano erepta Athenarum arx (ex quo Erichthonius, *Qui contentionis nomen continet*, ut obſervat Natal. Comes 4. *Mytholog.* cap. 5.) cecidit è cœlo Palladion: id eſt, imago Deæ Pacis, cuius deſcenſu in urbem, procella diſsidij converſa in tranquillitatem: unde petentibus pro concordiæ ſtabilitate ſignum, ſatis, dictum ab oraculo, lapſum de cœlo Palladium: equi-

Imago Pacis.

Carthar.

Nat. Comes.

Palladium quid?

equidem pignus nobiliſsimum Pacis, Virgo de cœlo deſcendens. Maius eſt quod Virgo virginum geſsit, quàm quod Antiquitas finxit: igitur per illam Toleti obtenta fuit pax, ultra votum, & ſpem. Iacuit ſub Mahumetana diriſsima ſervitute ferè totum regnum Hiſpaniæ, occupatis florentiſsimis urbibus ab Arabibus, incolis iactis, ſub tyrannidis legibus. Retorqueatur Seneca ubi ſupr.

Totum per orbem maximum exortum eſt
malum:
Cui vires dedit, roburque longum tempus
Atque error gravis; collecta vitia per tot
ætates diu
In nos redundant, ſæculo premimur,
Quo ſcelera regnant, ſævit impietas furens,
Tecta defendet ſuis aliena telis.

Senec.

Virgo de cœlo deſcendens.

Reddidit alienam urbem, ut propriam Alphonſo regi, ductà in captivitatem captivitate; ſed non ita vincta, ut congruebat catholicæ religioni: quandoquidem urbis arx erat ſub Iſmaëlitarum poteſtate, atque poteſtas confirmata Alphonſi fide. Ægrè tulere Catholici, arcem divinæ Palladis ſacram ſuperſtitioni impoſtoris, Vulcani turpis. Unde Flamen portans ignem & gladium (ignem zeli religionis, gladium militis) de nocte conſurgens, iuris catholicæ religionis fecit, quod templum ſibi Vulcanus vendicavit ſine iure. Reddidit Deo quæ Dei, defenſuri cauſam ſuam, etſi Cæſar defenderet propriam cauſam. Filij Vulcani in fornace cordium conflabant triſulca fulmina, volabant è pectore tela. Quid mirum? Rabie flagrat, furor arma miniſtrat, accenſus Cæſaris fide. Verùm intendentes arcum, converſi ſunt in die belli: igitur deſcendente de cœlo Palladio; firmata, Virgine ſacrà, veneranda religio, evanidis Erichthonij contentionibus; quoniam ſi pridem Divæ Divarum ſacratus locus, factus eſt in pace locus eius.

Iſque gradus templi, naturarum membra
ſuarum.
Circuit extremas oleis pacalibus oras.
Is modus eſt, operiſque ſua fecit arbore
finem.

Ovid.

Per Mariam unanimitas cordium, & pax diſsidentium.

Ut cecinit Ovidius 6. *Metam.* fab. 2. Semper placida diſsidentium corda, ubi de cœlo delapſa numina. Si imago intulit urbi pacem, quid per veram cœleſtem Virginem, munere Palladem? Si ad deſcenſum Divæ fictæ quievit Athenarum urbs; quid Toleti, à qua in mundum inducta pax? Quomodò aderit diſcordia, ubi Virginis præſentia? Cordolium etiam in arduis uſque in tartara fugiet, quandiù in diſsidentium pacem, uti Palladium, Virgo de cœlo deſcendit.

4 Acceſsit ergo plenitudo temporis, quo Deus mitteret Filium in mundum, ut acceptabilem faceret populum, gratumque exhiberet Deo; qui in forma Dei inventus eſſet ut homo. Quare miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem, ut inter Deum & hominem optatam pridem conciliaret pacem. Hinc Maria ab Andræa Cretenſi de *Virgin. dormit.* plauditur ut *Mundi propitiatorium.* A Bernardin. Buſtos *part. 9. ſerm. 2. Arcus fœderis*: equidem varijs gratiarum Virgo inſertata coloribus, decorata chariſmatibus, concipiens in carne Divinum Verbum, fecit utraque unùm, ne procederet ultrà in criminis vindictam, qui acceperat graviſsimam ab hominibus offenſam: igitur iram depoſuit in thalamo Virginis; quoniam in illa viſus tàm arcus, quàm arca fœderis. Non ſolùm pacem dedit, ſed quod amplius, atque pretioſius, reſtituit. *Pacem reddidit, in ſe reconcilians ima ſummis*: canit Eccleſia ex Bernardo ſerm. 1. in *Annunt.* Quomodò factum eſt iſtud, cogitandum; quippe nobile myſterium. Scitur, hominem animatum ac rationale ædificium, Dei vocari habitationem & templum. *Vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis.* Hinc ad illud gratia venit, & manſionem facit. A fundamento, quod lutei corporis deſpicabilis fragilitas, uſque in coronidem, quæ pretioſa rationalitas, proprià manu ita eximium fecit & perfecit opus, ut in illud totus Deus videretur occupatus. In exteriora quæ ſymmetria! quæ habitudo! In portionibus corporis quæ proportio! In interiora quæ divitiæ! Planè ibi intelligentiæ theſauri, abundantia gratiarum, atque magnificentia dotationum: ita ut templum pateret orbi mirabile in æquitate: quandoquidem poſtquam decoravit templum, in corde hominis erexit ſibi ſacrarium; quippe deliciæ, eſſe cum filijs hominum. Huiuſmodi ſtructura inſidijs hoſtium (etenim quæ perfecit ſummè artifex, deſtruxerunt) converſa in vaſa teſtea quaſi opus figuli, & obſcuratum eſt aurum dedecorato colore; quippe templum ſacrum Deitati, iam in dæmonum cultum hoſtili ſupplantatione: igitur ubi regnabat gloria venerandæ Deitatis, dolo Luciferi inductæ ſacrilegæ infandæ, turpes abominationes. Quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus templi Dei cum idolis? Iam altare profanatum, adytum pervium, ſanctificatio deſerta, paſtophoria diruta, ac denique in atrijs virgulta nata.

Mundi propitiatorium.
Luc. 1. 26.
Cretenſ.
Buſt.
Arca & arcus fœderis.
Bernard.
2. Cor. 6. 16.
Homo per Virginem redditur Deitati, cuius templum conſtitutus.

Tradidit Deus templum hoſtibus diripiendum, quod impleverunt multitudine idolorum, quippe adhuc inter Deum & hominem inſtabant inimicitiæ ex originaria labe; quæ tandem permanſuræ in corde Deitatis, quouſque removerentur à templo ſuperſtitiones, reſtitueretur que Auctori purificatum, quod illotunc & pollutum & immundum: diciturque factam concordiam per Virginem, dum Verbum intra viſcera eius ſuſcepit carnem; quippe per illam Deo reſtitutum eſt templum, tot retrò ſæculis ſuperſtitioni dicatum. Dæmon polluerat nefandis, vitiaverat corruptelis, queis accedebat homini conſenſus, qui blanditijs ſubdolis exultabat, & gemebat irretitus: unde inimicitiæ inter Deum ſummum è cœlo, & infimum hominem in hoc miſero mundo: Virgoque blandè converſa, in Incarnatione Verbi conciliavit imis ſumma; quippequàm Deo ſine labe reſtitutum eſt templum, quod ferè ab initio à Lucifero pollutum. Pax eſt, ubi ſancta ſanctè tractantur à ſanctis; non verò ubi canibus mittitur ſanctum ſacrilegis: paxque datur per Mariam; quoniam exitus planè in concordiam, quod fuerat Dei, Deo per genitricem reddito, erepto templo à tyranno Lucifero. Vernaculè: *Al mundo la Virgen bolviò la paz, reſtituyendole à Dios (por quitarle à Lucifer) el templo, que era de Dios.*

5 Expellitur è paradyſo Adamus, & exulat, quia legem fregit expulſus ſub tyrannide dæmonis, perſiſtentibus in corde inimicitijs. Miſertus Deus conditionis humanæ deſcendit è cœlo in terram, ut antiquam cum homine inſtauraret amicitiam, & per reconciliationem expulſus homo redderetur paradiſo. *Deſcendit ut primiparentibus paradiſus aperiatur*: infit Auguſtin. ſerm. 4. de *Tempor.* Expulſus eſt homo, quia ingreſſus eſt ſerpens; & tabeſcebat, quòd haberet paradiſum, Deo & hominibus dicatum, qui tantùm deſtinatus, ut coluber in infernum. Verùm unde propoſitum Verbi caro facti, ut homini redderetur habitatio paradiſi? Erat enim ſitus templum floridiſsimum, quo Angeli & homines laudaverant Dominum, & unde protoparentes eiecerant hoſtes, ut extrà dirè ſubſiſterent in miſerijs. Votum hominum erat reſtauratio templi paradiſi deliciarum; cæterùm fruſtrabantur vota cordis, decreto & fide datà ſupremi regis, qui uſque Filius intuliſſet mundo pacem, inhibuit expulſis reſtitutionem: deſcendenteque Verbo de cœlo, primiparentes reſtituuntur paradiſo; quippe ad illud ſpectabat, ibi non eſſe habitationem dæmonis, ubi Deo vero olim oblatum ſacrificium laudis. Templum Toletanum, quod uti paradiſum Dominus plantaverat ab initio fidei, peccatis priorum deditum communi hoſti: converſum in ſerpentium fanum, quod fuerat virtutum templum: equidem videbantur ſacrilegia, ubi perenni laude ſunt oblata ſacrificia. Siccine urbs decoris, gaudium univerſæ terræ? Vidiſti gentes ingreſſas in ſanctuarium, de quibus præceperas, ne intrarent in Eccleſiam tuam. Ægrè ferebat catholicus zelus, quòd paradiſum poſsideret inimicus: expulitque ultorem & inimicum, ac ſibi retinuit templum. Fremuit expulſus, atque queſtus coram rege de violentia, quippe non aliter olim pepigerat culpa. Quid ergo rex? Erit pax. Deſcendit de cœlo Virgo: & pax neceſſaria, ſi illa deſcendit è cœlo. Pridem pulchritudinis Dea appellata *Verticordia*, eò quòd depoſitis odijs in amorem convertit inimicorum corda, de cœlo lapſa.

Templa iubet Veneri fieri, quibus ordine
factis,
Inde Venus verſo nomina corde tenet.

Canit Ovidius 4. *Faſtor.* verſ. 157. Vide Lactant. Cœlium in *Statij* 5. *Thebaid.* verſ. 65. & Dempſt. in *Roſin.* lib. 2. c. 10. Maria, ut ait Gregor. Nicomed. *Orat.* in eius oblation. *Eſt pulcherrima pulchritudo, pulchrorum omnium ſummum ornamentum.* Quomodò non datura deſcendens de cœlo pacem, quæ degens in terris poſuit inter Deum & hominem? Verticordia viſa, die quo deſcendit in Eccleſiæ ſacrarium, atque Catholicis reſtitutum eſt templum: igitur ita reddidit pacem, texuit reconciliationem, regiam etiam ſervans fidem; ut corda amara infidelium totum deponerent odium; & facta denique pax; quia Deo vero reſtitutum templum illud quod fuit Dei.

6 Ex deſcenſus Filij momentis pro bono pacis, cognoſcitur etiam gratia inſignis Genitricis. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus*: ita ergo Virginis uterus. *Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* Non tantùm iuſtitia atque pax in terris, ſed cum abundantia pacis. Templum cordis hominis dæmon habebat in pace, quæ quidem pax longè à ſocietate iuſtitiæ: pax ſanè falſa, pax nulla; quippe ubi iuſtitia non eſt, pax, & pax, ſed non eſt pax. Ita cuncta erant in quiete, attamen tàm iuſtitia, quàm pax non ſunt

Auguſtin.
Gen. 3. 24.
Incarnatione Verbi, deliciis etiam reſtituitur Paradiſi.
Venus Verticordia.
Ovid.
Greg. Nicomed.
Sed iurè Virgo Maria.
Pſal. 71. 6. 7.
Ubi iuſtitia non eſt, nequit ſubſiſtere pax.

oſculatæ: notatque Pſaltes regius pace pacem ſimul & iuſtitiam, Verbo Patris deſcendente è cœlo in terram; quippe diremptum pace cœleſti diſsidium, dum quod iure debebatur, Deo reſtitutum eſt templum. Deſcendit in infimum orbem, verùm in Virginem: etenim ſi inimicitiæ, eò quòd templum hominis ſub dæmonis poteſtate; ſumma profectò concordia, Deo deſcendente in genitricis viſcera: igitur per illam decrevit templum ſibi reſtaurare, & pacem homini reſtauratione conferre. Sic item iuſtitia & pax oſculatæ ſunt in ambitu orbis. Ubi ergo abundantia pacis? In deſcenſu Virginis. *Ego veni* (dicit Filius) *ut vitam habeant, & abundantiùs habeant. Vitam*, dum adventu infero pacem, *abundantiùs* profectò per Matrem-Virginem. Sibi vendicaverat Mahumetica Luna Toleti fulgens, templum ſacrum venerationi Deitatis, Catholicos redigens ſub dira tyrannide. Deus liberavit pauperem à potente, ingrediente Alphonſo in urbem. Intulit igitur pacem: ſed pax illa pax non erat, quippe adhuc Luna in Baſilica ampliore fulgurabat. Inferenda non ſolùm pax, ſed abundantia pacis; ubi templum auferretur à Mahumetis. Factum eſt. Ibi ergo pax, & pacis abundantia; igitur in pace minimè quieſcunt catholica corda, donec auferatur Luna.

Per Virginem pax, & pacis abundantia.

Ioa. 10. 10.

Luna Mahumetica cadit ſub Maria.

7 Deſcendit Verbum divinum in inferiores partes terræ, cuius ortum ex Virgine annunciant Angeli, dicentes: *Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Pax debet eſſe in terra, ſi in cœlo gloria: equidem nequaquàm inimicitiæ, quando terra decertat pro gloria cœli. Non reſeratur ſumma felicitas in hominum beatitudinem, modò in cordibus reſpiciat criminis obicem: paciſque clarent indicia, ſi gloria cœli tota videtur in terra. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quare ergo non *bonæ* vel *mentis* vel *cognitionis*? Ut clareat zelus Bernardi & Reginæ in recuperatione Toletanæ Eccleſiæ; & huius mundi ſapientiam apud Deum eſſe ſtultitiam: equidem exitum habuit zelus & felicem, quod iudicabat mundus extremam temeritatem. Si perpenderentur difficultates, Maurorum regnarent leges. Nihil impoſsible apud Deum: etenim ex bona hominum voluntate pax inventa etiam in ipſa diſcordia. Pende contextum, qui ad unguem in propoſitum noſtrum *Subitò facta eſt multitudo militiæ cœleſtis dicentium*: quid? *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Angeli profectò pacis, in ſerenitatem humani fluctuantis cordis: verùm modò quare clarent militia cœleſtis? Milites recenſentur in bellum, deſtinantur in conflictum: paxque hominibus confertur, dum milites exponuntur; ut appareat, pacem datam fuiſſe cœlo, ubi à militibus nil ſperari quibat niſi turbatio: equidem ſi adeſt voluntas placendi Deo; pax fulgebit & concordia, quantunvis in diſsidium obviet oculis militia. Sine militum procinctu eſſet pax vel in ipſo fervore commotionis: concedenda Catholicis non tantùm pax, ſed abundantia pacis: Maurorumque exponitur torva militia, ut conſtet è cœlo pacis delapſa abundantia: etenim cuncta peracta optabili pace, quaſi aſtarent hoſtes irati abſque ullo milite. Hinc meditanter præponitur, *Subitò*; ut pax clareret è cœlo: igitur ſi magnum, quòd poſt tempus & tempus deferveret ira militum; maximum profectò, quòd eſſet ſubitò: quandoquidem mirum cunctis, in ſignum abundantiæ pacis, cunctam Iſmaëlitarum (irà flagrantium) militiam, converti & ſubitò in animorum concordiam. Iccircò quibus annunciatur pax, mutuò dicunt: *Videamus hoc verbum, quod factum eſt.* Cuncta implicatoria: verbum factum? pax & militia? Comprobent lumina teſtes, quæ audierunt aures. *Videamus hoc verbum, quod factum eſt, & Dominus oſtendit nobis.* Secundum miraculum aſtruetur ex primo. Dum Verbum caro factum, deſcendit de cœlo: cognoſciturque pacis abundantia, quantunvis cogitationi obſtet viſa militia; equidem cœlum ſanè pacem mittit, quo die Deitas deſcendens de cœlo apparet.

Luc. 2. 14.

Unde mirabilis facta per Virginem pax?

Verſ. 13.

Quare in ſignum pacis exponuntur milites?

Verſ. 15.

Deſcenſus Filij Dei in orbem, ob orbis pacem

8 Viderunt Toletani Archiepiſcopi verbum opere factum, ubi viderunt fidei reſtitutum templum. Viderunt Lunæ obſcuratæ militiam, & etiam pacis experti ſunt abundantiam: quæ quidem emiſſa è cœlo, quia facta ſubitò: igitur cùm in conflictum expectarent Sarracenorum militiam; odium cunctorum militum converſum eſt in concordiam. Florent iam de civitate, qui pridem ducti ſicut fœnum terræ: grateſque Virgini reddunt, ob inſigne factum pacis ab illa miraculum: equidem pacem iurè Toletum cognoſcit, quo die Virgo-Mater ibi de cœlo deſcendit. Templum Ieroſolymitanum datum eſt Gentibus, quod ab illis plenum ſordibus, pollutum ſacrilegà hoſtili abominatione, dum cives etiam in captivitatem ducti. Gaudebant inimici, maximè hoſtis humani generis, templum Dei & cultores ſubigi

Facta Toleti cōcordia, die quo de cœlo deſcendit Virgo Maria.

ſub diritate tyrannidis, ita ut ſpes præcideretur in patrium redeundi ſolum, nec poſſet illis reſtitui temeratum ſacrum templum: rex uti tyrannus prohibet, dæmon Perſarum reſiſtit: at in vanum: equidem in pace & abundantia pacis, reverſuri in templum, atque in terram promiſsionis. Adepturi namque ſacrarium, quanvis contradicat dæmon: conſtituentque feſtivitatem perpetuam, ob pacem datam, atque Eccleſiam reſtitutam.

Ierem. 29. 14.

Daniel. 10. 13. 20.

9 Audivit Aſſuerus ſe malè audire apud Principes Perſarum & reliquos ſubditos propter captivos Iudæos; in quibus tanta (ab hoſtibus ficta) audacia, ut Regis frangerent, vel deſpicerent decreta. Unde impetè furioſus exterminare decrevit, cunctos decollari iuſsit, inter quos etiam regina, & princeps Mardochæus, degens in aula, qui reliquos imbuebat in fide, atque ſuadebat etiam inter barbaros permanentiam in lege. Inter Hebręos aliqui ſignant magnatem, Chaldęus vocat ſacerdotem. Vide Serar. hìc *cap. 2. quæſtiunc. 6.* Lætati ſunt inimici, eò quòd lucrent pœnas, ob iniurias cogitatas: & æquitas regis clareret, cùm pignoribus charis minimè parceret. Regis perſiſtebat furor: hinc univerſæ civitatis dolor. *Cunctis qui in urbe erant flentibus.* Quid ergo ex tanto tumultu, ac fervore commotionis? Pax & abundantia pacis, victis hoſtibus, malum in reginam & primatem cogitantibus. *Diem conſtituerunt eſſe ſolemnem, epularum, atque lætitiæ: ut revertente ſemper anno, ſolemni celebrarent honore: quia in ipſis diebus ſe ulti ſunt de inimicis ſuis, & luctus atque triſtitia in hilaritatem gaudiumque converſa ſunt.* Decretum regis, quod iuxta morem Perſarum irreſcindibile, ita & citò revocatur? Ita ira, & motus in ultionem meditatam ſopitur? Utique. Eſther ingreditur, inſtruens regem de zelo inſigni primatis, atque inimicorum odio in decreta Religionis: unde civitatis plauſus, dum rex ab ira quieſcit, & accuſatis indulget; quia apud illum inter rationis ſtatum, ex irrevocabili decreto, atque ſtatum rationis, cui devotio; magis prævaluit primatis vera religio. Nil mirum, in perpetuum conſtitui lætitiæ diem, quo inſperatam plectendi nacti ſunt pacem.

Eſth. 3. 15.

Cap. 9. 17. & ſeq.

Iurè quo tānis decreta ſolemnitas, dum per Virginem tranquillitas.

10 Claret ex textu unde Alphonſi regis ira, & ſolemnitatis famigeratæ cauſa. In deditione Toleti prima (& conceſſa) Sarracenorum conditio (populo Chriſtiano gravis, attamen indulta neceſsitate temporis) templum, in quod deſcenderat Virgo Maria, & illuſtrarat, atque luſtrarat præſentià; in perpetuum manſurum apud infideles, & in uſum ſacrilegæ religionis. Iuravit Alphonſus pactum, & obtinuit, quem anxiè optaverat, triumphum. Illo abſente, ac Caſtellam veterem viſitante, Regina & Primas Bernardus, quorum in corde Catholicus viguit zelus, quin magni referrent fidem datam à Rege, reſtituerunt templum Catholicæ fidei, revertentibus exulibus in delicias horti, ubi fuerat lignum vitæ; & expulſi in patrium ſolum, quo pridem ſitum animatum cœlum: unde cordium mutuò plauſus, quia adorarunt in loco, ubi ſteterunt pedes eius. Excanduit Rex fide fractà: & eò quòd deſpecta præſcripta; uti Aſſuerus decrevit tolli caput Primatis, atque Reginæ Conſtantiæ. Hinc dolor, hinc lachrymæ. Quæ non dicta Regi, ut ab ira reſipiſceret? Immutabilis manſit, ſicut adamas induruit, ſicut cryſtallus guttis lachrymarum riguit, ſicut ſilex ictibus magis excanduit: cupiens ſanè extinguere cordis flammas accenſas, ſanguine illorum qui excitarunt flammas. Iam adinſtar Abrahæ eduxerat ferrum, extenderat manum; ſed cœlum ſuſpendit ictum, quia revocatum decretum. Unde defervuit ira? Affuit Virgo Verticordia. Ingreſſa eſt divina Eſther, quæ locuta ad Regis cor: hicque cognovit, quòd ubi veræ religionis cultus, nihil valere rationem ſtatus. Subitò cuncta mota, quippe etiam ſubitò corda inimicorum converſa: ex tratu mirabili quotannis feſtivitate inſtitutà, eò quòd per Eſtherem Virginum Virginem, urbs atque regnum inſperatam à cunctis obtinuit pacem.

Odium hoſtium repreſſum, & cor regis immutatum.

11 Inſperatam dixi, potiùs deſperatam quietem cordium, quippe inter protervos litigium, & validæ manus regum. Unde Seneca in *Medæa*, verſ. 493.

Gravis ira regum eſt ſemper.

Senec.

Tantæ pacis erat votum, & obtenta fuit pax ultra ſperatum. Acceſsit pius quidam pater Salvatori, ut Filium ſuum liberaret à protervo dæmone; igitur ſub poteſtate huiuſmodi hoſtis, præ cruciatibus degebat & impos mentis, inſidijs ſtructis ſubdolè in vitam, quibus ſæpe cadebat in ignem, & crebrò in aquam. Guttis lachrymarum ſcriptus ſupplex libellus. Erit ſanè pax, equidem ſubſcripſit Chriſtus: *Si potes credere, omnia poſsibilia ſunt credenti.* Continuò exclamavit pater: *Credo Domine, adiuva incredulitatem meam.* Negat utique quod ſupponit, ſupponens quod non concedit. Incredulitas relegat fidem: ſi

Marc. 9. 23.

credit, quomodò fidem dicit incredulitatem? Credit & non credit? Nullo modo. Alia erat patris, alia Chriſti cogitatio: patris, ut fieret gratia: Chriſti verò, ut faceret ultrà: unde fidem eximiam vocat incredulitatem; quippe quod crediturus, perficiendum ultra fidem. Hinc dicitur: *Si potes credere.* Tantùm poterat credere, quod conceperat in fidei cogitatione; ſed ita in miraculo crevit mirabilium magnitudo; ut fides quam habebat in gratias, poſſet notari incredulitas. *Si potes credere*: obtinebis quod tibi videtur impoſsibile, Crede: magis quàm credis, miraberis. Incredulitas hìc non eſt, quippe ſine fide; ſed quia fides ſine miracili adæquatione: diciturque à credente iurè incredulitas, vel eximiæ fidei ſingularitas; quoniam profectò ultra credentis fidem, quod ad libertatem filij necdum venerat in mentem. Credit, ſed non in adæquationem credit, dum Chriſtus ampliora exhibuit: igitur vindicante Chriſto à diabolo filium, ita inſigne futurum ſingulare miraculum; ut ſpecimen videretur incredulitatis à mente concepta fides: quippe pater credens, per fidem viſurus erat, plus quàm crediderat.

Hic viſa fides ultra fidem.

12 Dixi ſuprà, hominem Dei eſſe templum, illius maieſtati ſacrum. Conſecraverat gratia, violaverat culpa: qua quidem templum dæmonis, quod à principio tabernaculum divinæ maieſtatis: mirumque videbatur miraculum expectanti, & firmà fide, reſtitui in veri Dei cultum, quod templum habitabat & habitaverat dæmon. Creditur, poſſe votum obtineri, quoniam poſsibile: & videtur credi non poſſe; quia perficiendum, ultra quod ab homine poſſet credi. Expellendum ab illo templo Luciferum pater credit: & non credit ipſa fide, quam promiſit; quoniam etſi credit factum, non credidit tam facilè perficiendum. Credidit communem hoſtem ceſſurum poteſtati divinæ; ſed fautoribus affeclis in antiquam poſſeſsionem quire reverti, ac pòſt ſtabilire inolitam tyrannidem, per inſidias expertas, vel ſaltem armatum militem. Ultra quod credidit, vidit: & in ipſa fide non credidit; quippe antiquis non ſopitis validis inimicitijs, non credidit poſſe fieri pacem tantam procul armis. Aptiùs vernaculè: *No ſe perſuadiò que fueſſe con tanta paz. Quantum temporis eſt, ex quo ei hoc accidit*, & dæmon oppreſsit? Minimè tantillum, ſed per longum grave tempus templum hoccine rationale pravis moribus dedicatum dæmoni; & quanvis credit à templo dæmonis expulſionem; non credidit ita brevi ſopiendam hoſtilitatem. Ulteriùs. Credebat pater & non credebat. Credebat quod ſperabat: & in ipſa qua credebat fide non credebat; quoniam in vindicatione templi à poteſtate ſatanæ, pater lachrymis obtinuit, plus quàm credendo ſperavit. Unde cùm in exitu ultra ſpem, fides ſine fide ſit, quia fides dubia etiam in ipſa evidentia; inuſitato prodigio, quod pater videt, præ gaudio & exultatione ambigit ipſe quod credit. Articulus rei deſperatæ reddidit creperum, quippe ultra fidem à ſe conceptam, miraculum: quod quidem ita menti iam illuminatæ fulſerat; ut in ipſa fide non crederet, quod credebat.

Ultra ſpem & ultra cogitationem.

Verſ. 20.

13 Zelus Catholicorum & cunctorum patris Archiepiſcopi, quid poterat ſperare? Templi reſtitutionem, & ibi habitare Deitatem? Ibi ne pervênit ſpes? Obtinuerunt plus & plus: etenim vindicarunt à dæmone templum, quod deſiderabant, atque Mauri continuere, quod non credebant. Credebant expulſionem, ſed non pacem: credentes & dubitantes quod crediderunt; quoniam adepti & pace, quod nunquàm vel credentes ſperarunt. In fide qua votum abundavit, non iuxta creditum, ſed iuxta indultum fides ipſa defecit: ultra ſpem fuit felix exitus, dum reſtitutus eſt locus. Ex diſsidijs prodeunt arma, non concordia: unde in patratione miraculi fidei firmæ ſingularitas videbatur incredulitas: igitur quòd ex inimicitijs æſtuantibus ſic conſequerentur pacem, erat profectò miraculum ultra fidem. *Videamus hoc verbum, quod factum eſt, & Dominus oſtendit nobis*: dixerunt paſtores vigiles in die nativitatis cœleſtis Regis. Si oſtenſum Verbum aſſerunt, quid videndum? Quid videre quibant? Plus, quod etiam credentes non comprehenderant. Credebant frui ex viſione miraculo: ergo potiti voto: & quod pridem oſtenſum videre cupiunt; quoniam fide cogitantes, quod miraculo credebant, illo viſo, viderunt pluſquàm fide cogitaverant.

Unde non ſolùm miraculum, ſed inſigne.

Luc. 2. 15.

14 Obſerva in propoſitum noſtrum Evangeliſtæ contextum. *Videamus hoc verbum*, datà è cœlo terris pace, mutuò dicunt. Ubi Angelus ſignaverat, eunt. Portam vident perviam: verùm quid? *Et invenerunt Mariam.* Videre cupiunt Verbum divinum factum hominem, non matrem. Signa utique ab Angelo: *Invenietis infantem pannis involutum & poſitum in præſepio.* Quorſum primùm occurrit Maria? Quippe pax terris ab Angelis annunciata, optata tot ſæculis ab infelici homine, ſub dæmonis poteſtate, ut reſtituerentur Deo, templum & eius deturpata imago, hoſtibus expulſis ſub tartari tenebris: primaque Virgo-Mater occurrit, ubi pacem homo ſub captivitate quærit; igitur perpetuis diſsidijs ſubiacêret homo, ni pro pace obtinenda occurreret Mater-Virgo. Cauſa noſtræ felicitatis demonſtranda, ut obſequijs grata reſponderent corda: Virgoque oſtenditur, dum quæ ad pacem, militia cœleſtis loquitur; ut homo cognoſceret quærens pacèm, à nullo conciliari niſi per Virginem. Infans pignus pacis videndus in præſepio: ſed adeſt Virgo. *Dominus ipſe eſt, & non eſt alius.* Sanè non eſt alius Deus, ſed eſt alia, quæ Deipara, ſine forma Dei, Dei admirabilis forma: equidem producens hominibus pignus pacis, in ſe mirabiliter conciliavit ima ſummis:

Verſ. 16.

Verſ. 12.

Per Virginem pax in orbem.

Deuter. 4. 35.

Cauſa noſtræ felicitatis.

Mi nec amare aliam, neque ab hac deſiſtere
fas eſt.

Propert.

DIDASCALIA IV.

Eximiæ gratiæ Virginis præ amore in homines.

1 DE *gaudijs properamus ad gaudia* (dicam cum P. Damian. ſerm. in *Virgin. nativ.*) *de Virgine properamus ad Virginem, & de Maria ad Mariam revertimus*: equidem ex pace data conſtant eius patrocinia. *Deam pacis ſequebantur Gratiæ*: ait Chartarius de *Imag. Deor.* fol. 211. Clarent in obſequio Virginis, quæ vel à primo inſtanti conditionis fuerunt comites: reſpicitque in illam humana miſerabilis natura, quippe nunquàm in eius patrocinium ſine gratia. *Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt alius præter eum*, dicebat populo Moyſes. Non eſt alius præter eum, ut Conditor in auxilium hominum; ſed eſt alia præter eum hominibus in auxilium: igitur patrocinio Virginis-Matris ſublevantur labores humani generis. *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Manus Virginis, uti manus Salvatoris: etenim ſi manus gratiarum ſignum; diſcernuntur ab hominibus exhibitione gratiarum. Manus & tornatiles, & aureæ, & hyacinthis plenæ. In manibus collocatur Gratiarum habitatio, per quas ſignatur beneficij promptitudo: equidem haud Virginis videretur beneficium, ni obviaret promptum. Quicquid neceſsitas in ſubſidium petit, ad manum utique habet. Quod torno figitur, facilè volvitur: gratiaque favoris dicuntur manus tornatiles; quippe ut proſpicit Virgo miſeriam, facilè commovetur atque movetur in gratiam. Plenæ etiam manus hyacinthis, in ſignum vivax generoſitatis cordis: igitur ſi à Maria, proculdubiò gratia plena: eius ſanè agnoſcitur beneficium in hominem per gratiarum plenitudinem. Hyacinthis ſunt plenæ manus, ut favor etiam eluceat pretioſus. Per gemmas oſtenditur gratiarum æſtimabilitas: demonſtrantibus hyacinthis Virginis gratias; quippe ſi promptitudo maximum illarum pretium; Mariæ ſuper aurum atque lapidem pretioſum. Gratia ſanè pretioſa, ubi petita & obtenta: multotieſque pretioſior, quia obtenta, antequàm petita. Plenæ topazijs, & aureæ manus deſcribuntur Virginis. Vid. Ghisler. & Alapid. hìc. Iuxta neceſsitatis momenta, rebus pretioſis & pretioſioribus confertur gratia. Si in commodum corporis, auri aſsimilantur pretio: ſi in utilitatem animæ comparantur topazio. Aliæ magnæ, aliæ eximiæ: unde gratiarum Virginis pretium, ſuper aurum & topazion; igitur oſtendens flammam pectoris præ amore in genus accenſam, favor in ordine ad gratiam, atque in animę gloriam. *Manus aureæ plenæ hyacinthis.* Alij legunt: *Manus eius cauda pavonis.* Divitiæ olim per pavonis caudam, ut videris apud Pier. Valerian. *lib.* 24. *cap.* 2. & 3. Chart. *fol.* 122. in imag. *Iunon.* & Natal. Comit. *Mytholog.* lib. 2. cap 4. Aptèque pavonis plumis conferuntur manus aureæ liberales; quippequàm homo ſemper invenit in Virgine & gratias divitiarum & etiam divitias gratiæ. Cauda pavonis oculis decorata relucet, equidem lumina Argi centoculi Iuno illic mirabiliter inſeruit; uti aſtruit Ovidius 1. *Metem.* fab. 13.

Damian.

Imago Pacis, cuius Gratiæ comites.

Deut. 4. 35.

Cant. 5. 14.

Gratiæ Virginis unde pulcherrimæ?

In ordine ad gratiam & gloriam.

Manus ornata oculis.

——*Centum oculos nox occupat una.*
Excipit hos, volucriſque ſuæ Saturnia pennis
Collocat, & gemmis caudam ſtellantibus implet.

Ovid.

Hominum moleſtiæ frequenter clamant in Virginem, ut eius è cœlo deſcendat dulce levamen: caudæque pavonis oculis plenæ, manus conferuntur Virginis; ut clareant cunctis gratiæ munifici cordis: igitur quocunque extenderint oculos, ibi videbunt protectione manus.

Argus cœlum eſt, vigilantia lumina flammæ
Ætheriæ, & vario labentia ſidera mundo.

Pontan.

Tor-